



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

10 Vtrum actio sit propria ratio causandi efficientis causæ seu causalitatis
eius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

test, cum medium eandem qualitate recipit à primo agente, cur non ipsum potius agat in aliud à quo dicitur fieri reflexio, quam ab illo patiatur. Respondetur id provenire ex peculiari dispositione, vel conditione talis corporis, & qualitatis, nam lumen v.g. non videtur per se actiuum, nisi in corpore denso ac terfo recipiatur, vel saltē non est æque actiuū, vt experimentia docet, ideo enim luna illuminata à Sole plus illuminat, quā aliæ partes coeli, quia ita est lucida vt sit etiam densa. Quoniam ergo reflexio luminis semper fit in corpore denso ad medium rarum, ideo potius est illa actio à tali corpore, quam ab alio. Simile quid reperitur in reflexione caloris: communiter enim fit à corpore densiori, quod fortius agit, vt supra dictum est, propter multitudinem materiæ.

XXXV. Sed tunc oritur secunda difficultas, quia hinc sequitur, vel primum agens intensius calefacere aut illuminare rem distantem, quam propinquā, propter dispositionem eius, aut rem illā distantem in qua fit reflexio, intendere similem qualitatē in medio solum ob maiorem multitudinem materiæ: cum tamen in illo fit vel minus intensa, vel ad summum æqualiter: vtrumque autem repugnat dictis in superioribus. Hoc est argumentum, quo mouentur maximē illi qui dicunt in actione reflexa simile in gradu intendi à simili, vel idem à se ipso. Sed hoc partim impugnatum est supra, & præterea potest facile refutari, quia actio reflexa, vera actio est, non & potest fieri sine sufficiente virtute, nihilq; habet speciale nisi denominationem, quia flectitur versus agens à quo directe recipitur forma, à qua est actio reflexa. Et ideo posset quis respondere hanc reflexionem nunquam fieri nisi vel per qualitatem diuersæ rationis, vel adiuuante aliqua simili qualitate, vt v.g. cum speculum per lumen calefacit actione reflexa, tunc dicitur reflexio fieri per qualitatem diuersæ rationis, & cessat facile difficultas tacta, vt supra dictum est, quia licet lumē non sit intensius in speculo, quam in aere, potest intensius calefacere, quia est qualitas superioris rationis, & aliūde iuuatur defensitate subiecti & multitudine forme magis applicatæ. At vero cum fit reflexio inter ipsamet lumina, non habet locum dicta responsio, & ideo tunc nō deerit qui neget, esse in re talem actionem reflexam, qua lumē mediū maius reddatur: sed ita apparere quia corpus illud tersum, aut albū, vehementius mouet visum. Sed hoc non apparet credibile, quia experimur ipsum aërem clarius lucere, cum fit reflexio, & obiecta in eo posita melius videri. Dici etiam posset non intendi lumen in medio: sed nouum fieri à corpore per reflexionem: neq; esse inconueniens duo lumina esse simul in eadem parte aeris. Sicut quando fit reflexio in speculo, probabile est nouam speciem visibilem eiusdem obiecti causari in medio per reflexionem. Sed hæc multiplicatio luminum, licet perspectiuis placeat, à Philosophis non est recepta, neq; est consentanea iis quæ supradicta sunt de indiuiduatione accidentium. Et ideo dici aliter potest lumen receptum in corpore dēso esse diuersæ rationis ab illo, quod recipitur in aere: quod difficile creditur est. Aut etiam dici posset iuari ab aliqua qualitate subiecti: sed hæc omnia & alia quæ facile excogitare possunt, sine fundamento affirmarentur, ad fugiendam potius difficultatem quam expediendam illam.

XXXVI. Quocirca necessario videtur admittendū aliquod ex dictis consequentibus dummodo nō intelligatur qualitas remissa, aut se sola intendere sibi simile, sed in virtute & cum consortio principalis agentis: hoc enim esse probabile in superioribus declaratū est. Si ergo dicamus Solem, v.g. ob maiore subiecti capacitatem, intensius illuminari speculum distans quā aërem medium coadiuuante ipso medio vt instrumento vel partiali agente: tunc facile est intelligere speculum sic illuminatum iterum agere in aere sibi vicinum, & intendere lumen: neque enim est incon-

ueniens vt in eadem qualitate quidam gradus fiant ab vno agente, & alij ab alio, quando agunt diuersis actionibus & non æque primo, sed cū aliquo ordine vt hic contingit. Si vero dicamus in actione directe non illuminari intensius speculum remotum, quam aërem medium, sic dicendum est, eo quod speculum est aptius ad agendum per lumen receptū quam aer. statim ac illuminatur, coniungi virtualiter primo agenti, & iuuare illud ac iuuari ab illo, ad intendendū lumen aeris. Atque ita possunt hi duo modi dicendi probabiliter defendi, quāuis omnibus pensatis inter hos duos modos prior videatur faciliior, meliusque declarare actionem reflexam & difficultates vitare.

De reactione.

IN quarto argumento petitur difficultas de reactione, & quomodo in illa saluetur maior proportio necessaria ad causalitatem effectiuam. Sed hæc difficultas latissime tractatur in primo libro de Generat. & pendet maximē ex intelligentia differentia quæ est inter potentiam agendi & resistendi, quā nos infra trademus, tractando de potentia. Nunc ergo breuiter dicitur, resistere alicui, formaliter non esse agere in illud: potest enim res interdum resistere, etiam si nihil agat in aliud. Ex quo fit, vt ad agendum non sit necessarium, vim agendi vnus esse maiorem vi agendi alterius, sed per se solam requiri, vt actio vnus superet resistantiam alterius. Hinc ergo fieri vt passim reagat in suum agens, etiam si ab illo vehementius patiatur: quia licet superetur in actiuitate, nihilominus potest actiuitate sui aliquantulum superare resistantiam alterius, & ita non agit, in illud quatenus maius vel æquale est ipsi, sed quatenus aliquo modo est inferius. Sed hæc intelligetur melius, explicatis rationibus potentia actiua & resistitiua, & proportionibus earum: quod infra præstabitimus. vltimum argumentum superius solutum est.

xxxvii.

SECTIO X.

Virum actio sit propria ratio causandi efficientis cause, seu causalitas eius.



DECLArauimus principia & conditiones necessarias causæ efficientis vt sit proxime apta ad causandum, superest vt explicemus quid sit illud quo formaliter constituitur actū causans, illud enim nos vocamus proximam rationem causandi, seu causalitatem vniuersæ causæ. Et vt sæpe dixi. non est sermo de relatione causæ, quæ resultare dicitur effectui iam producto, quia manifestum est illam non esse causalitatem, cum potius supponat causalitatem tanquam rationem in qua fundatur. Est ergo sermo de causalitate, prout nostro modo intelligendi dicit proximam rationem fundandi relationem, illa enim ratio est quæ constituit & denominat causam in actu, prout dicitur esse prior natura suo effectui.

Aliquorum opiniones

DIFFICULTAS vero est, an hæc causalitas sit ipsamet actio qua agens agit, an vero sit aliquid aliud præter actionem: nonnulli enim Thomistæ negant causalitatem agentis esse actionem ipsam, vt Soncinas 5. Metaphys. qu. 4. & Iauell. qu. etiam 4. qui refert Heruæum quodlib. 2. qu. 1. & quodlib. 4. qu. 8. Fundamentum esse potest, quia causalitas agentis aliud esse debet ab effectui agentis: nam causalitas non causatur, sed per illam causatur effectus: actio autem est effectus agentis: ergo non est causalitas eius.

II.

Probatur minor, tum quia actio nihil aliud in re est, quam effectus ut manat ab agente, tum etiam quia ipsa actio, etiam formaliter sumpta, oritur ab agente & à virtute eius: ergo ipsa etiam est effectus agentis, & indiget causalitate qua causetur. Secundo, quia transacta actione adhuc manet vera causa efficiens: nam Sol postquam produxit aurum, est vera causa efficiens eius, & verum est dicere aurum pendere à Sole ut ab efficiente, & tamen actio non durat.

III.

Quod si interroges ab his authoribus quæ sit ratio causandi huius causæ, nihil aliud respondent, nisi, causalitatem efficientis esse, dare esse effectui. Quia vero hæc verba communia etiam sunt aliis causis, præsertim formæ, addunt explicationem, scilicet quod sit dare efficiendo, seu quod sit efficere seu producere. In quo dupliciter deicere videntur: primo, quia idem per idem dicunt: secundo quia vel inuiti recedunt in opinionem quam reprobant: quid enim est efficere nisi agere? à quo autem res denominantur agere nisi ab actione? ergo perinde est dicere causalitatem efficientis causæ consistere in ipso agere, ac consistere in actione, nisi quod his posterioribus verbis formalis declaratur, non solum per ipsum concretum, seu per denominationem agentis, quæ eadem est cum denominatione causæ efficientis in actu, sed per abstractum & per formam denominantem.

IV.
Secunda.

Alij ergo, ut à prædicta sententia omnino recedant, dicunt causalitatem agentis non posse esse aliquid extra agens, sed debere esse modum intrinsecum ipsi agenti: nam in aliis causis causalitas vniuscuiusque est modus eius intrinsece illam efficiens: ergo idem erit in causa efficiente: actio autem proprie dicta, ut talis est, non est modus agentis, nam, quidquid est extra ipsum agens. Et confirmatur, nam huiusmodi actio, quæ sit in effectu, non interuenit in omni causalitate effectiua, ut patet in creatione, & tamen ibi est vera sua efficiens: ergo causalitas efficientis, ut sic non consistit in actione, sed in aliquo intrinseco ipsi agenti, quidquid illud sit. Confirmatur secundo, quia vna causa efficiens respectu vnius effectus adæquati vnā habet causalitatem, & tamen sæpe non habet vnā, sed plures actiones, ut ignis vna causalitate generat ignem sibi similem, & tamen ibi interuenit actio qua transmutat materiam, & alia qua facit formam, & alia qua vnit illam, & alia qua producit totum compositum: hæc namque actiones omnes in generatione hominis distingui possunt, & videtur eadem esse ratio de reliquis, nam ipsarum distinctio habitudinum & relationum indicat distinctionem actionum.

Resolutio questionis.

V.
Efficientis
causalitas
ipsa actio.

Dicendum nihilominus est causalitatem efficientis causæ in nullo alio posse consistere quam in actione. Hanc sententiam docent his temporibus moderni scriptores doctissimi: & significatur à D. Tho, 5. Metaph. c. 2. in illis verbis, *Efficiens est causa finis quantum ad esse, quia mouendo perducit ad hoc quod sit finis*: & inferius: *Efficiens est causa in quantum agit*. Idem sentit Albertus 2. Phisic. tract. 2. cap. 6. Et probatur, nam id est causalitas causæ agentis, quod illam constituit, vel potius denominat, actu agentem: sed hoc est actio, nihil aliud esse potest: ergo. Maior constat ex ipsa questionis expositione supra tradita, & ex ipsis terminis: quia causa in ratione causæ causalitate constituitur, idem autem est esse causam efficientem in actu quod esse agens. Minor ex terminis videtur etiam clara, quia per illud constituitur causa actu agens, quod immediate intelligitur adiungi ultra potentiam agendi, nam causa dum intelligitur habere tantum potentiam agendi, non intelligitur actu agens: ergo debet esse aliquid ultra hanc potentiam per se ac necessario requisitum intra latitudinem huius

causæ: hoc autem non est nisi actio ipsa, qua subiecta intelligi non potest potentia ut actu agens, & illa posita, necessarium est actu agens: propter quod dixit Aristoteles relationem agentis proximè fundari in actione, 5. Metaph. ca. 14. ergo illa est propria causalitas agentis.

Secundo, quia causalitas vniuscuiusque causæ est id quo proximè per se ac intrinsece attingit effectum, & quo è conuerso effectus pendet à tali causa: est enim causalitas quasi via seu tendentia ad effectum. Vnde inter causam & effectum quali inter duos terminos versatur: quia per causalitatem causa influit in effectum, & effectus procedit à causa: sed actio est id quo causa efficiens actualiter attingit suum effectum, & quo effectus pendet à sua causa, nam ex ipsamet dependentia effectus facti à causa faciente, ut statim significabimus, & latius tractabimus infra disputando de actione: ergo.

Tertio à sufficiente enumeratione, quia ad hanc causalitatem necessaria est actio, & præter illam nihil aliud necessarium est: imo nec probabiliter exogitari potest: ergo. Maiorem suppono ut certam, maxime in præsentia materia ubi de causis creatis agimus; solum enim de creatione dubitari posset, sed nunc de illa non agimus, quāquam etiam in illa verum habeat, ut infra ostendemus. Minor constat: clare ex solutionibus argumentorum oppositæ sententiæ, nunc breuiter declaratur hoc modo: quia, si aliquid aliud mediat inter potentiam agendi & actionem quod sit causalitas agentis, vel illud est præuium ad actionem, & aliquo modo radix eius, vel subsequens ad actionem & ex illa resultans, vel aliquid concomitantem se habens: nihil horum probabiliter dici potest. Probatur primum membrum, non pertinet ad actualē causalitatem efficientis, sed vel ad rationem causandi per modum principij quo, aut quod, vel ad conditionem requisitam ad agendum: cuius signum est, quia si listatur in toto illo præuium, & ad illud non sequatur actio, nondum intelligitur causa actualiter causare, siue id fiat per præcisionem intellectus, siue quia in re suspēdatur actio positus omnibus aliis prærequisitis, siue id supernaturaliter fiat, siue ex libertate causæ: statim vero ac intelligitur actio in re poni, impossibile est quin causa actu causet. Secundum membrum contrario modo facile suadet, nam quidquid consequitur ad actionem, est vel terminus eius, vel aliquid posterius termino: ergo multo minus pertinet ad actionem, quod intelligitur causa actualiter agendi, nam ille est proprie effectus vel primarius, vel secundarius talis causæ. Tertium item membrum facile probatur, quia si solum concomitantem se habet: ergo est per accidens ad actionem: ergo illo seculo manere potest actio: ergo illo etiam seculo manebit causalitas agentis: ergo non potest in illo consistere hæc causalitas. Eo vel maxime, quod intelligi aut declarari non potest quid sit illud distinctum ab actione & à principiis eius, & omnibus conditionibus præuiis ad illam, quod nihilominus sit necessarium ad illam. Neque huius necessitatis potest aliqua probabilis ratio reddi. Relinquitur ergo ut sola actio esse possit causalitas agentis.

Soluntur argumenta obiecta in contrarium.

AD fundamentum ergo prioris sententiæ respondetur, actionem proprie ac formaliter non esse ipsum effectum productum ab agente, sed esse modum talis effectus ex natura rei ab illo distincti: cuius argumentum sufficiens est quod potest manere effectus sine tali modo, aut variata dependentia, quod idem est. Est enim ille modus emanatio seu dependentia effectus à causa agente: potest autem effectus

effectus nunc dependere ab hac causa, & postea ab alia, & ita potest variari in illo dependentia circa eundem effectum, & tunc nihil aliud variatur quam causalitas agentis, de qua distinctione actionis à termino nonnulla in superioribus erigimus, & dicemus plura in sequentibus, partim tractando de creatione, partim inferius tractando de actione & passione. Quod si nomine effectus comprehendamus non solum rem productam, sed quidquid à virtute agentis manat, sic concedimus actionem esse aliquo modo effectum agentis, cum sit dependens vel potius ipsamet dependentia ab illo: esse autem effectum hoc lato modo non repugnat causalitati: quin potius in omnibus causis quas hactenus tractauimus, causalitas est effectus causæ, vno enim est effectus formæ, acque etiam materię in suo genere; & est causalitas viriufque secundum diuersas habitudines. Et ratio generalis est, quia causalitas semper provenit à causa, & ideo licet non propter se causetur, concusatur tamen, ideoq; late loquendo sub effectu comprehenditur. Nec vero propterea necesse est, vt causalitas alia causalitate causetur, aut actio alia actione fiat, quia de ratione causalitatis est vt habeat immediatam habitudinem ad causam, & sit quasi medium aut vinculum inter causam & effectum. Atque ita comparatur actio ad suum terminum, & ad principium seu causam efficientem à qua manat: ipsa vero actio non manat media alia actione, alias procederet in infinitum, sed actio est ipsamet emanatio: sicut terminus motus fit per motum; ipse autem motus non fit per alium motum, quia est ipsamet via ad terminum. Ex quo fit (vt ad secundum argumentum respondeamus) impossibile esse vt cessante vel transacta actione duret causa in actu: potest quidem durare res quæ fuit causa in actu, non tamen durabit in ratione actu causantis, cum actu non influat in effectum: unde nec talis effectus potest vere dici iam actum pendere à tali causa, sed dependisse aliquando in suo fieri: quam dependentiam non habuit nisi ratione actionis, quæ tunc etiam fuit, quando à sua causa manauit.

IX. Ad argumenta posteriori loco posita negamus causalitatem agentis debere aut posse esse modum intrinsecum ipsius agentis, distinctum ab actione, quæ ab agente manat, & est in termino ipso, vel in passio. Quod in naturalibus agentibus quæ agunt sola actione transeunte, videtur manifestum: quia illa non mutantur, neq; aliquid acquirit ex eo quod agant. Neque est vlla necessitas fingendi talem modum, cum actio sit sufficiens vt effectus manet à suo agente. In his vero quæ agunt actione immanente, si nihil aliud agant quam ipsummet actum immanentem, etiam est manifestum, in facultate agente non esse alium intrinsecum modum distinctum ab ipso actu, vel actione immanente, qui sit causalitas talis actus: nam ipsamet actio immanens immediate manat à suo principio: & quidquid aliud addatur tanquam medium inter potentiam in actu primo sufficienter constitutam & actionem, erit gratis confectum, & sine necessitate; & præter omnem communem doctrinam quæ in his potentiis non cognoscit nisi aut actus ipsos, seu actiones & principia earum, quæ sunt vel species, vel habitus. Et in voluntate nihil est actuale in quo primo exerceatur libertas voluntatis, nisi actio elicita ab ipsa voluntate: illa ergo est causalitas effectiua talis potentie. Quia tamen res quæ fit per talem actionem, manet in ipsa potentia, ideo talis actio est modus efficiens causam agentem, non quia hoc fit de ratione causalitatis agentis vt sic. In iis denique quæ per actum immanentem aliquid extra se agunt, videri potest, causalitatem qua talis causa extra se agit, esse actum vel modum in illa manentem, tamen reuera non est, quia ille actus qui manet in tali causa, non est formalis causalitas quæ constituit rem actu causantem extra se; sed est aut proximum

principium agendi, aut applicatio principij proximi à quo oritur causalitas. Quod videlicet in Deo ipso, qui maxime agit ad extra per actum in se manentem: nam cum hic actus in Deo sit æternus & immutabilis, actualis tamen eius causalitas in tempore ponitur: quia Deus non actu causat, donec effectus fiat: & ideo talis causalitas non potest esse aliquid in ipso Deo, qui mutari non potest, sed in creatura, quæ fit aut mutatur. Nunquam ergo causalitas agentis est modus intrinsece efficiens ipsum agens vt sic.

Nec vere necesse est vt in hoc sit omnimoda similitudo inter omnes causas: quia non est omnium eadem ratio, causæ enim materiales & formales sunt intrinsecæ: causa vero efficiens ex suo genere est extrinseca. Et comparando inter se materiam & formam, hæc est quodammodo magis intrinseca, quatenus est magis propria, & determinans materiam efficiendo illam. Et ideo inter causalitates harum causarum est quædam proportionalis dissimilitudo. Nam causalitas formæ est modus intrinsecus, & in re idem cum forma, causalitas autem materię potest dici intrinseca, quatenus est intime in ipsa materia: non est autem modus ita identificatus illi sicut formæ: causalitas autem agentis per se est extrinseca: & tam distincta ab agente, quam ipse effectus: quod si interdum in agente manet, aut ab eo non realiter sed tantum modaliter distinguitur, id est accidentarium ad rationem agentis vt sic: prout itq; vel ex eo quod agens simul est patiens, vel ex eo quod res quæ fit, non est omnino distincta ab agente, sed modus eius.

Ad primam confirmationem negatur assumptum, nam etiam in creatione causalitas consistit in actione; vt argumentum paulo antea factum ostendit, nam cum illa causalitas temporalis sit, non potest consistere in modo intrinseco agenti: ergo debet consistere in actione extrinseca: qualis autem sit illa actio, & in quo subiecto, dicemus postea.

Ad secundam confirmationem respondetur argumentum illud retorqueri posse in contrarium: nam vbicumque est vna causa formaliter, id est vna causatio, ibi est vna actio, & è contrario vbi multiplicatur actiones, multiplicatur etiam causalitates: signum ergo est hanc causalitatem in actione consistere. Quocirca, si generatio ignis sumatur vt includit alterationem præcedentem & generationem substantialem: fatemur quidem illas esse duas actiones, tamen eodem modo sunt due causalitates: si vero sit sermo de sola causalitate substantiæ, negamus ibi esse plures actiones, sed est vna & eadem, qua & fit totum compositum, & educitur forma de potentia materię, & vnitur illi, nam in his omnibus solum denotantur plures habitudines, quas eadem actio habet ad suum subiectum, vel ad terminum formalem aut totalem, in generatione autem hominis peculiari ratione distinguitur actio productiua formæ ab vniuiua (quidquid aliqui dicant) quia illa forma non pendet à materia vt à propria causa suæ productionis, pendet tamen in vniione: actio autem qua forma vnitur & compositum fit, non est distincta: quia compositum non potest aliter fieri, quam vniendo formam materię.

SECTIO XI.

Verum causa efficiens aliquid efficiendo corrumpat aut destruat, & quomodo.



I nomen ipsum causæ efficientis attente consideretur, non videtur significare causam quæ tollit esse, sed quæ dat esse: & ideo in omnibus quæ hactenus de hac causa diximus, solum expli-

X.

XI.

XII.

Legi Scoti
7. Metaph.
9. 10. & 11.
10. Andr. 9.
4. Socin. 9.
13. Zimar.
1. theori. 100
Durand in
2. d. 1. q. 4.
ad 2. sim.